This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

768m
A64

UC-NRLF
$B 254 349

P A
6537
A76
1872
MAIN

YB 00529

Digitized by Google

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Class 768m
A64

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUIBUS DE CAUSIS OVIDIUS AB AUGUSTO RELEGATUS SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ALMAE UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS APPEL
CHARLOTTENBURGIENSIS.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BEROLINI
TYPIS G. HICKETHIER
MDCCCLXXII.

Digitized by Google

GENERAL

Digitized by Google

PA6537
A76
1872
MAIN

MAXIMILIANO REHMANN

AMICO.

191824

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Quemadmodum nos temporibus otiosis suavis Ovidii Nasonis musa delectavit, ita fere semper sors illius poetae animum nostrum valde commovit. Honoratus a populo romano, a viris illustrissimis, ab ipso Augusto; amatus ab uxore dilectissima et a caris amicis; vir splendidissimi ordinis gratissimaque fruens vitae conditione — relegatus subito ad extremos imperii romani fines; mollis poeta, „tenerorum lusor amorum“ ad rudes barbaros; „quique fugax rerum, securaque in otia natus“ ad „inhospita litora Ponti.“ Quid mirum, quod causas quaerimus, quae tam repentinam tantamque fortunae vicissitudinem adduxerint.

Qua in quaestione annales rerum romanarum illius temporis frustra evolvimus; nemo auctor vitam Ovidii scriptam memoriae prodidit, vix ac ne vix quidem nomen ejus apud scriptores aequales commemoratum invenias. Quo majorem gratiam poetae habemus, quod ipse in carminibus multas ad vitam suam illustrandam notas reliquit (cfr. imprimis Trist. IV. 10.) Causas autem, cur relegatus sit, ne Ovidius quidem enarrat; immo vero tantum abest, ut aperiat, ut diserte dicat:

„Illa tegi caeca condita nocte decet.“

Attamen in Tristium libris et in Epistolis, quae ab Ovidio ex Ponto scriptae nobis exstant, tam multa ejus obscure dicta de hac re reperiuntur, ut maximae conjecturarum varietati locus datus sit.

Permagnus numerus eorum est, qui hunc in modum, quibus causis Naso Tomos missus sit ab Augusto, adhuc conjecerunt sententiasque ediderunt; neque tamen ulla exstitit,

Digitized by Google

quae cum omnibus dictis poetae conjungi possit et rem difficilem ad omnes numeros persolvat.

Qua cum ita sint, nosmet ipsi curam nostram diligentiamque hanc in quaestionem conferamus, ut — quoad de hac re judicare possumus — veras relegationis causas perspiciamus. Ac primum quidem, priusquam opiniones perlustremus, quas viri docti adhuc proposuerunt de hac re, et antequam nostram ipsorum sententiam proferamus, varia quae apud Ovidium obscure dicta reperiuntur, conferenda nobis accurateque perpendenda esse videntur, ut, unde omnibus conjecturis exeundum sit, principium teneamus.

Viam, quae hac in quaestione ingredienda est, poeta ipse demonstrat, Trist. II. 207—212 verbis:

„Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error,
Alterius facti culpa silenda mihi . . . .
„Altera pars superest, qua turpi crimine tactus
Arguor obscoeni doctor adulterii."

Carmina, imprimis quam scripserat Artem amandi alteram fuisse causam, cur ab Augusto relegatus esset, Ovidius satis superque affirmat. Praeterquam quod fere totus secundus Tristium liber in redarguendum hoc crimen ad Augustum scriptus est, triginta quinque ejusmodi locos, per Tristium Epistolarumque libros sparsos, enumeravimus. Atque argutum se esse adulterii quasi doctrinae Arte sua animis juventutis insitae, praeter locum supra laudatum diserte dicit Epist. III. 3, 57:

„Quid tamen hoc prodest, vetiti si lege severa
Credor adulterii composuisse notas,"

Refutanda nobis esse videtur, qua haud pauci virorum doctorum adhuc ducebantur, opinio: Artem amandi non veram fuisse alteram exsilii causam, sed tantum simulatam ab Augusto, horum maxime Ovidii verborum auctoritate muniti: Epist. ex. P. II. 9, 73:

„Neve roges quid sit, stultam conscripsimus Artem;
Innocuas nobis haec vetat esse manus.

Digitized by Google

„Ecquid praeterea peccarim, quaerere noli,
Ut pateat sola culpa sub Arte mea.“

At vere ita res se habeat? Negamus. Reperiuntur illi versus — etenim multum refert, quo in conexu rerum dictum sit aliquid — in epistola Cotyi regi scripta, qua Ovidius ab eo petit, ut sibi exsuli patrocinetur; quod quo facilius a rege finitimo impetret, poeta, non ob scelus commissum neque omnino ob aliquid contra leges factum se exsulem esse, affirmat. „Et tamen“ pergit v. 72, „his gravior noxa fatenda mihi est“, et jam sequuntur verba: „Neve roges quid sit etc.“ Causam autem cur, quid praeter Artem scriptam peccaverit, dicere nec velit nec possit, explicat Epist. II. 2, 59:

„Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse putem.
„Lingua sile: non est ultra narrabile quidquam;
Posse velim cineres obruere ipse meos.“

Trist. III. 6, 31:

„Et quaecunque adeo possunt afferre pudorem,
Illa tegi caeca condita nocte decet.“

Trist. II. 208:

„Alterius facti culpa silenda mihi,
Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera, Caesar.“

Ergo sensus illius loci fere hic est: ne interroges, o Coty quid commiserim; altera causa exsilii est, quod Artem amandi scripsi; quid praeterea peccaverim, quominus tibi dicam, et verecundia laesi Caesaris et meus ipsius pudor prohibet; sufficiat tibi, quam aperui, causa: scripta Ars. Si poeta exprimere voluisset, hanc causam tantum simulatam esse ab Augusto, eum pro: „ut pateat etc.“ scripturum fuisse: „lateat sola culpa sub Arte mea“ verisimile est.*)

Praeterea respicias, id quod jam supra commemoravi, toto secundo Tristium libro ad Augustum scripto Ovidium nihil aliud agere, quam ut crimen adulterii Arte sua docti

*) In omnibus codicibus „pateat“ legitur, praeter Cod. Par. C., qui haud magni aestimandus est.

Digitized by Google

redarguat. Num putas, poetam tot verba tantumque eloquentiae ac laboris impendisse ad refutandum crimen, quod a Caesare simulatum esse haud ignoraret? Immo vero hanc disertissimam Artis defensionem non scripsisset, nisi Augustum ex animi sententia illa carmina crimini sibi vertisse persuasum habuisset. Hac demum ratione intelligitur, poetam Musas nominare Trist. V. 12, 47 „maximam causam fugae", et artem poeticam Epist. IV. 2, 32 „principium mali", et carmina Epist. IV. 13, 42 „primam tam miserae fugae causam." Atque adeo haec conscientia in animum ejus penetraverat, ut fere nunquam in exsilio de carminibus loqueretur, quin illa sibi nocuisse repeteret; quin etiam sepulcro suo haec verba incisa cupiebat:

„Hic ego qui jaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio perii Naso poeta meo." — Trist. III. 3, 73.

Quae mea sententia certissime confirmatur iis locis, ubi poeta, nulla Augusti ratione habita, maerore afflictus defixusque in cogitatione de malo suo secum meditatur, cujusmodi sunt, si sontextum respicis: Trist. I. 1, 113; 9, 55. III. 3,73 V. 1, 20; 7, 32 aliique. Quin etiam Augusto jam mortuo*) eandem profert querelam, velut Epist. IV. 13, 41:

„Carmina nil prosunt, nocuerunt carmina quondam,
Primaque tam miserae causa fuere fugae."

Ac profecto, miserior erat exsul, quam qui fictis causis insuper animum cruciaret.

Itaque nullo modo dubitari potest, quin Ars amandi, quam Ovidius ediderat, altera exsilii causa fuerit ac vera quidem neque ullo modo simulata.

At forsitan aliquis dixerit, Artem ab Ovidio esse editam jam novem annis ante relegationem ejus et satis superque temporis fuisse Augusto ad observandum, quantam vim ea haberet ad mores corrumpendos depravandosque; atque

*) cfr. infra.

Digitized by Google

errorem poetae, quem dicit alteram exsilii causam, ejusmodi fuisse, ut solus gravissimam Caesaris iram in Nasonem converteret.

Quae contradictio ut sententiam nostram evertat, tantum abest, ut egregie ei conveniat. Contendimus enim, Artem et errorem Ovidii artissime inter se conexa fuisse; id quod nusquam non modo non negatur, sed etiam confirmatur his verbis: Trist. IV. 1, 23:

„Scit quoque (Musa), cum perii, quis me deceperit error,
Et culpam in facto, non scelus, esse meo.
„Scilicet hoc ipso nunc aequa, quod obfuit ante,
Cum mecum juncti criminis acta rea est.
„Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
Pieridum sacris imposuisse manum."

Diserte igitur Ovidius dicit, carmina sua propter errorem aequam culpam factam esse atque illlum; vel: quia error crimini sibi datus sit, etiam Artem vitio sibi versam esse. Praeterquam quod Augustus errore Ovidii acerbissime offensus erat, id quod infra demonstrabimus, necessario statuendum est, eum eo ipso etiam Artis poetae commonefactum esse, ita ut facere non posset, quin una cum errore ejus Artem quoque scriptam vindicaret.

Ars igitur amandi, altera causa relegatonis, artissime conectenda est cum errore Nasonis.

Sequitur, ut disserendum esse videatur de errore ipso, quem nominat Ovidius alteram ac proximam, cur in exsilium missus sit, causam. Poetam obscure tantum dicta de eo nobis tradidisse neque ullum vestigium hujus rei apud scriptores aequales inveniri, jam in exordio hujus dissertationis commemoravimus. Quantum difficultatis omnino fuerit in rebus aetatis Augusteae scribendis, Dio Cassius rerum romanarum lib. LIII. cap. 19 docet: temporibus liberae rei publicae omnia in finibus imperii romani facta ad senatum populumque romanum lata esse; *ἐκ δὲ δὴ τοῦ χρόνου ἐκείνου*, pergit, *τὰ μὲν πλείω κρύφα καὶ δι' ἀποῤῥήτων γίγνεσθαι ἤρξατο καὶ μέντοι τὸ τῆς ἀρχῆς μέγεθος τό, τε τῶν πραγμάτων πλῆθος*

Digitized by Google

δυσχερεστάτην ἀκρίβειαν αὐτῶν παρέχεται ἔν τε γάρ τῇ Ῥώμῃ συχνά, καὶ παρὰ τῷ ὑπηκόῳ αὐτῆς πολλά, πρόςτε τὸ πολέμιον, ἀεὶ καὶ καθ' ἡμέραν, ὡς εἰπεῖν, γίγνεταί τινα, περὶ ὧν τὸ μὲν σαφὲς οὐδεὶς ῥᾳδίως, ἔξω τῶν πραττόντων αὐτά, γιγνώσκει· πλεῖστοι δ'ὅσοι οὐδ'ἀκούουσι τὴν ἀρχὴν ὅτι γέγονεν. Quodsi auctor ita disserit de rebus publicis, quid mirum, nihil nobis traditum esse de errore quodam poetae, quamvis illustrissimi. Sed ne id quidem mirum esse videtur, quod Ovidius ipse errorem suum tantum obscure significavit. Legimus enim Trist. II. 209:

„Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera, Caesar,"

et Epist. II. 2, 59:

„Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse putem etc."

Erat igitur error poetae talis, ut animus Augusti acerbissime eo offenderetur. Jam si respicis, Tristium et Epistolarum libros, qui nobis exstant, in publicum usum esse scriptos, atque Ovidium vehementer cupivisse, ut Augustus quoque eos legeret — id quod multis blande et suppliciter dictis in Augustum domumque principalem certissime confirmatur — quid magis consentaneum, quam cavisse poetam, ne iram vindicis sui parum reverenter nimisve inverecunde dictis denuo lacesseret! Dubitandum non est, quin epistolis privatissimis errorem suum amicos diligenter docuerit. Accedit quod, cur poeta in exsilium missus esset, haud sane reconditum erat, immo si minus publicum erat, at intra privatos parietes narrabatur. Etenim scriptum est Trist. IV. 10, 99:

Causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae
„Indicio non est testificanda meo."

Epist. I. 7, 39:

„Et tamen ut cuperem culpam quoque posse negari,
Sic facimus nemo nescit abesse mihi."

Epist. II. 3, 85:

„Cum tibi (Maxime) quaerenti, num verus nuntius esset,
Attulerat culpae quem mala fama meae."

Digitized by Google

Ergo nullo modo est mirum, quod de errore Nasonis nihil nisi obscure dicta prodita habemus.

Jam quoad de illo errore ex verbis poetae judicandum sit, videamus.

Ac primum quidem quid non fecerit, nos docet Epist. II. 9, 67:

„Non ego caede nocens in Pontica litora veni,
Mistave sunt nostra dira venena manu;
„Nec mea subjecta convicta est gemma tabella,
Mendacem linis imposuisse notam.
„Nec quidquam, quod lege veter committere, feci."

Trist. III. 5, 43:

„Denique non possum nullam sperare salutem,
Cum poenae non sit causa cruenta meae,
„Non mihi qnaerenti pessumdare cuncta petitum
Caesareum caput est, quod caput orbis erat.
„Non aliquid dixi, violentaque lingua locuta est,
Lapsaque sunt nimio verba profana mero."

Tum quid solum de illa re aperire possit, profert:

Trist. II. 103:

„Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?"

Trist. III. 5, 49:

„Inscia quod crimen viderunt lumina plector,
Peccatumque oculos est habuisse meum."

Trist. III. 6, 27:

„Nec leve nec tutum est, quo sint mea dicere casu
Lumina funesti conscia facta mali."

Sed peccato suo omne consilium et scelus facinusque abfuisse, saepissime afirmat, veluti:

Trist. III. 6, 34:

„Praemia peccato nulla petita mihi."

Trist. IV. 4, 43:

„ . . . . . abfuit omne
Peccato facinus consiliumque meo."

Trist. IV. 1, 24:

Digitized by Google

„. . . . . (scit quoque Musa)
Et culpam in facto, non scelus esse meo."

Trist. V. 8, 23:

„. . . . . utque pudore
Non caret, invidia sic mea culpa caret."

Epist. II. 2, 15:

„Est mea culpa gravis, sed quae me perdere solum
Ausa sit et nullum majus adorta nefas."

Errorem stultitiam, timorem simplicitatem nominat peccatum suum:

Trist. I. 2, 99:

„Immo ita vos (Di) scitis, si me meus abstulit error,
Stultaque mens nobis, non scelerata fuit."

Trist. IV. 10, 89:

„Scite (parentales umbrae) nec vos mihi fallere fas est,
Errorem jussae, non scelus, esse fugae (causam)."

Trist. III. 6, 35: (referam)

„Stultitiamque meum crimen debere vocari
Nomina si facto reddere vera velis."

Epist. II. 2, 17:

„Nil nisi non sapiens possum timidusque vocari
Haec duo sunt animi nomina vera mei."

Trist. I. 5, 42:

„. . . . sed hanc merui simplicitate fugam."

Trist. IV. 3, 39:

„Aut timor aut error nobis, prius obfuit error."

Neque tamen omnem culpam se negare posse confitetur:

Epist. I. 6, 25:

„Quidquid id est, ut non facinus, sic culpa vocandum est."

Trist. III. 5, 51:

„Non equidem totam possum defendere culpam."

Trist. IV. 8, 49:

. . . . „vitio pars est contracta malorum."

Epist. I. 1, 66:

„Ne non peccarim mors quoque non faciet."

Digitized by Google

Epist. III. 3, 73:

„Quidquid id est, neque enim debet dolor ille referri,
Non potes a culpa dicere abesse tua."

Quin etiam Caesaris offensi gravissimam iram se meruisse, concedit:

Epist. I. 2, 95:

„Nec minus infestus, quam fuit, esse potest (Augustus)."

Epist. I. 2, 93:

„. . . . . poterat minimo me perdere nutu."

Epist. III. 6, 9:

„Huic ego quam patior nil possem demere poenae,
Si judex meriti cogerer esse mei."

At Augustum, quum delicti aliquid excusabile ei visum esset, sibi pepercisse probat. Neque enim bona nec vitam nec civitatem Caesarem sibi ademisse, sed relegatum tantum domesticis penatibus se egere, neque hoc senatus-consulto, sed ipsius Caesaris edicto. Quae principis clementia poetam etiam in spem adducit, fore ut aliquando in patriam reverti sibi per Augustum liceat, id quod precari non desinit:

Trist. II. 1, 25:

„Cujus in eventu poenae clementia tanta est,
Ut fuerit nostro lenior illa metu.
„Vita data est, citraque necem tua constitit ira,
O Princeps, parce viribus use tuis.
„Insuper accedunt, te non adimente, paternae,
Tamquam vita parum muneris esset, opes.
„Nec mea decreto damnasti facta Senatus,
Nec mea selecto judice jussa fuga est.
„Tristibus invectus verbis, ita Principe dignum,
Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas.
„Adde quod edictum, quamvis immane minaxque
Attamen in poenae nomine lene fuit,
„Quippe relegatus non exsul dicor in illo,
Parcaque fortunae sunt data verba meae."

Digitized by Google

Epist. I 7, 41:

„Quod nisi delicti pars excusabilis esset,
Parva relegari poena futura fuit.
„Ipse sed hoc vidit, qui pervidet omnia Caesar,
Stultitiam dici crimina posse mea.
„Quaque ego permisi, quaque est res passa, pepercit,
Usus et est modice fulminis igne sui.
„Nec vitam nec opes nec ademit posse reverti,
Si sua per vestras victa sit ira preces."

Trist. IV, 9, 13:

„Et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo."

Quam quidem spem praematuro Augusti obitu sibi ereptam esse, queritur Epist. IV 6, 14.

„Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae,
Spem nostram terras deseruitque simul."

Nihil igitur Ovidius fecerat, quod lege vetitus erat; non conjuraverat, nullum scelus ab eo erat commissum. Laeserat ipsius Caesaris animum offenderatque acerbissime verecundiam ejus errore quodam, quem quominus palam proferret, pudor Augusti atque ipsius eum retinebat. Casu infausto alicui rei intervenerat; viderat quae videre non debebat. Quo quidem usque omni culpa vacuus tamen postea illius rei particeps factus erat; sed hanc societatem non petiverat, nedum ullum commodum cum ea conjunctum quaesivisset. Errore quodam („Wahn") ablatus, simplicitate deceptus, magna ex parte etiam timore ad funestam illam societatem adductus ne sic quidem facinus ipse commiserat. Neque tamen fieri non poterat, quin summae perniciei haec infirmitas Ovidio esset, cum res, quae acta erat, gravissimam Augusti offensionem contineret. Quem de ea certiorem factum omnium, qui ejus participes fuerant, acerbissimum odium concepisse, consentaneum est. Ovidium autem in eo graviorem Caesaris iram incidere necesse erat, cum ille errore poetae simul Artis amandi, jam per se male audientis, commonefieret. Merito igitur, ne bona, civitatem, vitam ipsam perderet, poeta metuerat. Sed Augustus, postquam sibi persuasit, eum magis

Digitized by Google

simplicitate et errore, quam consilio adductum peccasse, eorum quidem nihil fecit, verum Tomos Nasonem relegavit. Quantopere nihilo secius poetae iratus fuerit, ex eo apparet, quod supplices blandasque preces ejus nihil exaudivit. Ac si videmus, ne Tiberium ac Liviam quidem, Augusto mortuo, miserrimam Nasonis sortem levasse, peccatum ejus etiam in hos duos vel potius ad totam Caesaris domum pertinuisse apparet.

Jam igitur in breve colligamus longae expositionis summam, ut uno adspectu intelligi possit, quas exsilii causas poeta ipse nobis significet:

Ovidius primum quidem invitus atque infausto casu rei cuidam intervenit, quae gravem Augusti ac totius domus principalis offensionem continebat, deinde autem et stultitia atque errore et timore adductus socius ejus rei factus est; quae societas, quamquam nihil facinoris ipse commisit, tamen perniciosissima Ovidio facta est, quod cum peccato poetae Ars amandi, quam scripserat, conectenda erat.

Quae opinio et in omni genere verbis ipsius poetae nititur et omnia dicta ejus respicit. Sed hic ipse finis est, quo usque de illa re certo judicare possimus; ultra eum conjectura est. Ac quaevis conjectura fundamento, quod exstruximus, superstruenda est; refutanda autem, quae illuc non quadrat.

Jam quae ante nos de hac re prolatae sint opiniones videamus exigamusque eas tamquam ad obrussam. Vulgatissimas earum in dissertatione reperimus, quam Devillius, criticus francogallicus, de exsilio Ovidii edidit.*)

Ac quidem choream ibi ducit criticus quidam opinatus, Maecenatem, quod Ovidius non aeque ac ceteri poetae illius aetatis laudes suas cantavisset, offensum ab Augusto impetrasse, ut superbus poeta ad barbaros missus poenas daret.

*) A Deville, essay sur l'exil d'Ovide. Paris 1859.

Digitized by Google

Alii e verbis poetae, Epist. I 1, 51:

„Vidi ego linigerae numen violasse fatentem,
Isidis, Isiacos ante sedere focos seqq."

judicarunt, Nasonem ob mysteria quaedam enuntiata esse relegatum.

Sunt etiam qui censeant, Ovidium in iram Caesaris incidisse, quod rei adfuisset, quae Dione Cassio auctore (cfr. LVI c. 43) ei cum Athenodoro philosopho intercessit.

Haud pauci, legentes hos Sidonii, quinti saeculi poetae, versus:

„Nec te, carmina per libidinosa
Notum, Naso tener, Tomosque missum
Quondam Caesareae nimis puellae,
Ficto nomine subditum Corinnae"

statuerunt, non esse dubium, quin Ovidius Juliam, Augusti filiam, amaverit cantaveritque eam „Amorum" carminibus ficto Corinnae nomine; id quod postea ab Augusto detectum poetae causam relegationis fuisse.

Alii quidam, quibus haec quidem opinio haud prorsus displicebat, at tempus, quod ab exsilio Juliae filiae usque ad Ovidium relegatum intercesserat, nimis longum esse videbatur, Amores poetae ad Juliam, neptem Augusti, referendos esse putaverunt.

Nasonem incesto intervenisse, quod Augustus cum Julia filia admisisset, sunt qui collegerint ex hoc Suetonii loco:

„Cajus (Caligula) Agrippae se nepotem neque credi neque dici ob ignobilitatem ejus volebat; praedicabat autem, matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia admisisset, procreatam."

Quam opinionem si Devillius nominat „la plus répandue, la plus généralement accréditée" addere oblitus esse mihi videtur „en France".

Enuntiasse quoque Ovidius decemvir dicitur facinus quoddam Agrippae Postumi. Qui hanc protulit sententiam vir doctus, gloriatus est Devillio auctore, „d'avoir enfin découvert la véritable cause de l'exil d'Ovide."

Digitized by Google

Alii Ovidium conscium fuisse volunt adulterii, quod auctore Tacito (annal. III. 24.) D. Silanus cum Julia, nepte Augusti, commiserat.

Si sequeris Baylium criticum illustrissimum, poeta Augustum oppressit aut deplorantem detecta Juliae neptis flagitia, aut inquirentem eam de hac re, aut torquentem socios vel conscios ejus.

Quin etiam conjurasse dicunt infaustum Nasonem contra Caesarem una cum Julia nepte et cum Agrippa natu minore!

At quis omnia quae de illa re excogitata sunt enumeret? Sententiarum autem, quas attulimus, nullam esse, quam accuratius perpendamus, quivis mihi concedet, qui Tristia et Epistolas Ovidii haud nimis negligenter perlegerit. Omnes refutandae sunt, si quae scripta sunt, respiciuntur neque, quae non scripta sunt, ex arbitrio temere adduntur. Praeterea Devillius satis acute arguteque de iis refutandis disputasse mihi videtur.

Devillius ipse sic conjecit:

Ovidium, quippe cui aditus ad familiarem Caesaris domum fuisset, quondam non certis passibus errantem casu quodam in balneum Liviae, uxoris Augusti, pervenisse eamque ibi nudam vidisse; quo errore Nasonem non modo pudicitiam Liviae, sed etiam verecundiam mariti ejus tam acerbe offendisse, ut merito timeret, ne ipsam vitam perderet. At Augustum, ubi poetae peccanti omne consilium facinusque abfuisse cognovisset, modo — ne ulla, quae vidisset, enuntiandi potestas Nasoni relinqueretur — Tomos eum relegasse; ac ne quae fama tam difficilis rei in vulgus emanaret, causam relegationis esse simulatam: quod poeta Arte sua amandi adulterium docuisset.

Quam quidem opinionem ante se esse prolatam, Devillius confitetur, sed unde hauserit, ut fontem commemoret, tantum abest, ut addat: „mais nous croyons, qu'il nous était réservé de le démontrer", atque ubi affatim demonstrasse sibi videtur, hunc splendidum disserendi finem facit:

Digitized by Google

„Jusque là (que notre opinion aura le sort de ses aînées) qu'il nous soit permis de croire, que nous avons enfin soulevé le voile, qui pesait sur une question encore palpitante d'intérêt après tant de siècles, à l'honneur immortel des lettres."

Jam vides, quam bonus sit pater adoptivus; num aeque bonus sit criticus, examinemus.

Ex sententia viri docti et posteritas persuasum habet et Ovidius ipse (cfr. Epist. II. 9. 76.) haud ignorabat, Artem amandi causam exsilii esse simulatam. Quae ratiocinatio quanta laboret difficultate, supra (p. 6 seqq.) satis demonstrasse mihi videor.

Tacuisse quidem Nasonem, Devillius pergit, veram relegationis causam, sed illud crimen, quod adulterium Arte sua docuisset, indignatum eum refutasse Tristium libro II, immo vero affectionem ejus paternam haud minutam approbatam esse verbis:

„Nos quoque delectant, quamvis nocuere libelli;"

quin etiam disertissima illa refutatione poetam ultum esse proscriptum: „le poëte vengeait le proscrit."

At quanta non fuerit paterna illa Ovidii exsulis affectio adversus Artem suam, modo in transcursu mihi liceat illustrare his poetae verbis:

Trist. I 1, 113.

„Hos (Artis libros) tu vel fugias, vel si satis oris habebis,
Oedipodas facito Telegonosque voces."

Trist. III 1, 66.

„Quos suus optaret non genuisse parens."

Trist. V. 7, 31.

„Quamvis interdum, quae me laesisse recordor,
Carmina devoveo Pieridasque meas."

Ac si vir doctus disserit „le poëte vengeait le proscrit", hoc prorsus non perspicio. Quam longe poeta ab omni ulciscendi consilio abhorruerit, quivis intelliget, qui perpetuas ejus supplices preces blandissimeque in Augustum dicta respexerit. (cfr. imprimis Epist. II. 8.) Num vere putas,

Digitized by Google

hanc esse linguam ulciscentis, ac non supplicis, culpae conscii, subditi? Sin quae immodestius adversus Augustum commemorata esse videntur in illo secundo Tristium libro, equidem censeo, non plus libertatis poetam adhibuisse, quam necessario opus esset ad disputandum crimen, quo Arte amandi adulterium docuisse arguebatur. Quanto liberius hac in re Ovidius in Caesarem loqui poterat, si consilium ulciscendi ei fuisset!

Corruit igitur tota Devilii de Artis causa interposita disputatio.

Jam cum Ars amandi, quam veram fuisse relegationis causam vidimus, vix conecti possit cum Livia sine veste visa, hanc quoque partem opinionis Devillianae concidere apparet. Neque tamen operae pretium non est, videre, quo vir doctus argumentationem suam deducat. Ac primum quidem, quomodo ad illam sententiam pervenerit, examinemus.

Iniit hanc quaestionem (p. 48), ex verbis poetae Trist. II 209:

„Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera, Caesar,“ concludens, ac recte quidem, Ovidii peccatum tale fuisse, quod Augustum gravissime laederet ac mortem poetae efficere posset. Deinde hortatus, ne de vi vocabuli „crimen“ fallamur, proficiscens a versu:

„Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error,“ ad verbum ita disserit (p. 49):

„Mea, nostra crimina, répète-t-il; „meum crimen, nostrum crimen,“ dit-il en parlant particulièrement du crime de ses yeux. Ainsi ses yeux ont vu, ont fait, en voyant, un crime; il a failli pour avoir eu des yeux“:

„Inscia quod crimen viderunt lumina plector,
Peccatumque oculos est habuisse meum.“

. . . . . .

Sed partem nostri criminis error habet, s'empresse-t-il d'ajouter.

Écoutons, qu'a-t-il vu?

Cur aliquid vidi? Cur noxia lumina feci? Cur imprudenti cognita culpa mihi? Inscius Actaeon vidit sine veste

Digitized by Google

Dianam. Pourquoi ai-je vu quelque chose? Pourquoi ai-je rendu mes yeux coupables? Pourquoi, imprudent, ai-je connu ma faute? Actéon sans le vouloir vit Diane nue. Emparons nous de cette comparaison échappée au poëte. Ne viendrait-il pas de trahir le secret, qu'il s'était promis de garder, mais qui devait peser sur son coeur ulcéré? Il ne lui était ni facile, ni sûr, „nec leve, nec tutum", de parler ouvertement; pouvait-il en dire davantage?

„Inscius Actaeon vidit sine veste Dianam":
„Livie vue nue dans le bain."

Quod ratiocinandi genus utile esse, haud quisquam negabit; rectumne sit, nescio. At quoniam Devillius confitetur „on l'a dit avant nous", nihil nisi nimiam credulitatem vitio ei vertemus; sin pergit „mais nous croyons, qu'il nous était réservé, de le démontrer", quomodo demonstraverit, inquiramus.

Verisimile est, virum doctum frontem percussisse, quod non primus detexisset, poetam ipsum, se Liviam nudam vidisse, versu illo aperire:

„Inscius Actaeon vidit sine veste Dianam."

Jam enim investigavit, eandem rem praeter locum laudatum quattuor libri VI Fastorum locis significatam esse, ac quidem his versibus:

v. 254.

„Tu, dea, nec fueras aspicienda viro."
„O déese, tu ne devais pas être vue par un homme."

v. 450.

„Sacra vir intrabo non adeunda viro."
„Homme, j'entrerai dans ce lieu sacré, où jamais un homme n'aurait dû pénétrer."

v. 397.

„Huc pede matronam nudo descendere vidi
Obstupui tacitus sustinuique gradum."
„Là, j'ai vu la matrone descendre le pied nu; stupéfait, sans voix, je m'arrêtai."

Digitized by Google

v. 18.

„Haec erat, agnovi, quae stat in arce Jovis,
Horrueram tacitoque animum pallore fatebar.“

„Je l'ai vue, c'était elle, je l'ai réconnue, qui siège à côté de Jupiter, je frémis, mon âme, je l'avouerai, pâlit d'un secret effroi.“

Quae verba, quamquam ad Vestam et ad Junonem spectant, ad Liviam quoque referri posse, Devillius ex eo arbitratur, quod interdum poeta cum Vesta dea vel cum uxore Jovis Liviam comparat; sed quo facilius nobis persuadeat, rem magnopere auget, dicens: „Ovide ne parlait presque jamais de Livie, sans la comparer à Junon ou à Vesta; Livie, Vesta, Junon, c'était pour lui une seule et même divinité.“ Deinde sententiam suam, Liviam nudam ab Ovidio esse visam, nonnulis versibus confirmare studet. Merito enim poetam propterea, ne Augustus ipsam vitam sibi demeret, metuisse;

„Poterat minimo me perdere nutu;“

sed Nasonem ei persuasisse, se sine omni consilio peccasse, neque ulla peccati praemia sibi quaesivisse:

„ . . . . . abfuit omme
Peccato facinus consiliumque meo.“

„ . . . . . sed illo
Praemia peccato nulla petita mihi.“

Ut in Dianae Actaeonem, sic in balneum uxoris augustissimae inscium et invitum se intrasse, errore deceptum.

Qua quidem Nasonis excusatione, Devillius pergit, iram Augusti ita esse lenitam, ut vitam ei non auferret; sed, ne ullam, quae vidisset, enuntiandi potestatem haberet, poetam Tomos esse relegatum. Quo ex loco funestissimo ut revocaretur, cum frustra Augustum saepissime implorasset, Ovidium intellexisse, sortem suam miserrimam levari non posse, nisi Livia ipsa antea sibi ignovisset et pro se Caesarem deprecata esset.

„Confugit interdum templi violator ad aram
Nec petere offensi numinis horret opem.“

Digitized by Google

Itaque uxori eum mandavisse, ut Liviae pro exsule supplicaret, eamque docuisse, quomodo hac in re aptissime Junonem adiret. (cfr. Epist. III. 1.). Sed ne Liviam quidem, ut aliqua ex parte supplices Nasonis preces exaudiret, commoveri potuisse, quippe quae, quantum pudicitia apud maritum valeret, haud ignoraret. Devillio etiam verisimile esse videtur, spectare ad crimen Ovidii, quae Dio Cassius in libro LVIII enarrat: „Liviam, cum quondam viros nudos vidisset, vitam eis servasse dicentem, corpora nuda oculis pudicis nihil nisi statuas esse." Denique autem, Liviam errore poetae maxime esse offensam, ex eo apparere, quod ea ne Augusto mortuo quidem exsilium Ovidii ullo modo sublevarit, immo nova Diana suo Actaeoni dixerit:

„Nunc tibi me posito visam velamine narrres."

Hactenus Devillius.

Haud magna laus mihi esse videtur, argumentationem viri docti refutare. Equidem hac in re officium critici in eo esse situm puto, ut tamquam medius neque in ullam positam opinionem inclinatus omnia, quae de exsilii causis poeta indicet, respiciat ac diligenter perpendat. Verum Devillius — ut summatim de ejus argumentandi ratione judicem — sententia qua arbitratur, Liviam nudam esse visam ab Ovidio, ductus, haec tantum verba poetae elegit, quae in illam sententiam quadrant; versus autem, qui ei non conveniunt prorsusve obloquuntur, aut accommodavit aut omnino neglexit. Ut hoc unum afferam, poeta, se omnem culpam defendere non posse, sed partim errore ac stultitia ablatum, partim timore commotum se peccasse, diserte, ut supra vidimus, fatetur.

At singula perspiciamus.

Ac primum quidem nullo modo mihi persuadere possum, tam ineptum fuisse Nasonem, ut in eadem epistola et tamquam uno spiritu Augusto verecundissime diceret:

„Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera, Caesar,"

atque inverecundissime:

„Inscius Actaeon vidit sine veste Dianam,"

si his verbis subaudiendum erat: inscius ego, Naso, uxorem

Digitized by Google

tuam, Caesar, nudam vidi Quomodo, si quid pudoris in pectore ejus reliquum erat, sperare poterat, fore ut Augustus neglecta tam inaudita impudentia commoveretur, ut mitius exsilium daret? Verum Ovidius non ipse, sed modo criticus noster oculis poetae Liviam nudam vidit, et sensus illius loci fere hic est: vix mirum videtur, me poenas dedissse, quia vidi, quae mihi videnda non erant; Actaeon quoque, quamquam inscius atque invitus Dianam posita veste viderat, tamen canibus suis praeda factus est: nam in Superis etiam fortuna luenda est, nec veniam casus habet. — Illud vero plane non est ferendum, quod Devillius etiam versus laudatos Fastorum libri VI. ad Liviam nudam a poeta visam spectare vult. Etenim v. 253 l. l. ita Vestam deam poeta alloquitur:

„Non equidem vidi, valeant mendacia vatum,
Te, dea, nec fueras adspicienda viro."

Scilicet, cum verba „non equidem te vidi" sententiae viri docti prorsus obloquantur, faveant contra, quae sequuntur, versum „non equidem vidi" tacet, et pro „te" emendat „tu"; jam enim omnia egregie ei conveniunt:

„Tu dea, nec fueras adspicienda viro."

Haec res ipsa loquitur et dissertationem viri docti satis superque illustrat. Ceteri autem Fastorum lib. VI. versus 18—19, 450, 397—398 utrum magis ad quaestionem nostram spectent an aeque violenter inepteque Devillius de eis disseruerit, ipse lector benevolus e contextu verborum dijudicet.

Attamen fingamus, Ovidium vidisse Liviam nudam, jam vide, quomodo vir criticus poetam errorem suum coram Augusto excusantem facit:

„ . . . . . abfuit omne
Peccato facinus consiliumque meo;
„ . . . . . illo
Praemia peccato nulla petita mihi."

„point délicat pour Auguste et pour Livie" addit auctor verecundus; verum ego libere profiteor, hanc argumentandi rationem mihi non modo non scitam, sed admodum insul-

Digitized by Google

sam videri. Mente alienata Ovidius Naso esse debebat, si coram irato offensoque Caesare tam proterve de uxore ejus augustissima, de „Vesta pudicarum matrum" verba fecisset; et Augustus omni pudore conjugali carere debebat, si non statim hominem tam lingua procacem percussisset. Augustus autem Devillianus, ubi Nasonem pudicitiam uxoris non petiisse cognovit, gladium in vaginam recondit, ac forsitan in pristinam amicitiam cum eo redisset, si poetam taciturum esse persuasum habuisset; sed quum de taciturnitate Ovidii dubitaret, Tomos, ad barbaros eum relegat. Quam non ita id effecturus fuerit, quod Devillio auctore intenderat, manifestum est. Praetera, fieri potuisse concedo, ut Augustus hominem tam difficilis rei conscium e consuetudine sua, vel Roma, quin etiam ex Italia removeret; verum quod eum in Pontum misit, mollem poetam, omnibus, quae vitam exornant erudiuntque animum, rebus adsuefactum ad rigida Ponti Euxini litora, ad incultos Getas; quod omnes miserrimi exsulis preces neglexit neque ullo modo deterrimam sortem ejus levavit; atque haec omnia nulla de alia causa, quam quia casu quodam in balneum Liviae ille intravisset eamque ibi lavantem vidisset — hoc prorsus non perspicio. Attamen de clementia ac moderatione, qua praecipue provectior aetate Augustus usus sit, Suetonius c. 51, 54, 55; Vellejus lib. II. c. 86, 87 copiose narrant, ac Dio Cassius lib. LVI. c. 40 diserte de eo dicit: *τοῖς τε τῶν οἰκειοτάτων ὑβρίσμασιν ἀπαραιτήτως ἐπεξιών, τὰ τῶν ἄλλων ἁμαρτήματα ἀνθρωπίνως μετεχειρίζετο.* Itaque si res haec fuisset, quam Devillius vult, dubitari nequit, quin minus infestum Caesar in poetam se praebuerit. Livia autem, quam Dio Cassius, viros nudos nihil sibi esse nisi statuas praedicavisse refert, pudicitiam non ineptius commendare potuisse mihi videtur, quam virum, a quo ipsa veste posita visa erat, in iniquissimam fortunam praecipitans ac ne cineres quidem ejus in terra patria condi patiens. Denique quomodo res illa a Dione Cassio narrata ad Liviam nudam ab Ovidio visam spectare possit, adhuc non intellexi.

Quae cum ita sint, paullulum in dubium vocare nobis liceat, quae Devillius de opinione psua raedicat (p. 50):

Digitized by Google

„Cette supposition remplit toutes les conditions du problème si longtemps cherché; elle présente tous les degrés de vraisemblance, elle concorde avec toutes les paroles échappées à Ovide."

Reliquum est, ut nosmet ipsi nostram proferamus sententiam, quo error ille funestus Ovidii spectasse nobis videatur.

In enumeratione variarum de relegationis Ovidii causa sententarium unam adhuc tacuimus, ac consilio quidem.

Tiraboschi enim, vir doctus Italicus, primus sic conjecisse dicitur:

Ovidium ab Augusto iu exsilium missum esse propterea, quod Juliam, neptem ejus, in faciendo aliquo eorum flagitiorum oppressisset, quae miserae illi feminae ipsi exulandi causa fierent. Etenim verisimile esse, Augustum, ne ignominiam renovaret, qua jam prius Julia filia, omnibus flagitiis contaminata, domum principalem affecerat, nepte relegata et adultero ejus interempto etiam Nasonem, conscium adulterii, amovisse, ut omni modo, quominus rem ignominiosam enarraret, eum prohiberet. Jam quod Tiraboschi quoque poetam, omni culpa vacuum, modo decori domestico animique Caesaris tranquillitati tamquam victimam immolatum voluit, causam vero exsilii ejus Artem amandi scriptam simulatam esse statuit, haec quidem viri docti sententia aeque atque opiniones ei similes nobis refutanda est. Verum probamus, eum exsilium Ovidii cum relegata Julia nepte conexuisse. Permulti viri doctissimi ad eandem sententiam adducti sunt;*)

---

*) cfr. imprimis Gaston Boissier: l'exil d'Ovide. Revue des deux Mondes 69, pag. 580—611. (1867.)

Tota haec commentatio, cujus nunc denique, opusculo meo ad umbilicum paene adducto, copia mihi facta est, permulta habet, quae cum temerarium illum Devilli ratiocinandi modum refutant, tum iis, quae egomet ipse exposui, saepius ad verbum fere adsentiuntur. Neque ignotum fuit auctori subtilissimi popularis opus, quod tamen ita non suum facit ut dicat: „D'autres se sont mis en tête qu'Ovide avait été assez indiscret, pour regarder Livie se baigner; mais on oublie, qu'Ovide parle d'un

Digitized by Google

quomodo autem conectendae sint illae res, non satis adhuc accurate explicatum esse videtur. Attamen, si non prorsus fallimur, quaestio difficillima omnes ad numeros absolvi potest.

Memineris, omnibus Ovidii de causa exsilii obscure dictis collatis atque examinatis ad hanc sententiam necessario nos pervenisse.

Ovidium primum quidem invitum ac temere rei cuidam intervenisse, quae gravem Augusti ac totius domus Caesaris offensionem contineret, deinde autem eum vel stultitia atque errore quodam vel timore adductum socium ejus rei esse factum; quam societatem, innocentia ipsius servata, tamen perniciosissimam ei factam esse eo, quod cum peccato poetae Ars scripta amandi conecteretur.

Quam nostram opinionem jam ita supplendam esse judicamus:

res cui poeta intervenit, aliquod flagitium Juliae neptis erat, propter quod ipsa ab Augusto relegata est.

Juliam eodem anno in exsilium missam esse, quo Nasonem, viri doctissimi consentiunt. Cum autem de anno ipso, qui fuerit, dissentiant, modo in transcursu hanc quaestionem solvere experiamur.

Legimus apud Ovidium Epist. IV. 10:

„Hic mihi Cimmerio bis tertia ducitur aestas
Litore pellitos inter agenda Getas."

Epistola autem decima libri IV. scripta est Augusto

---

crime qu'il a vu commettre, et ce n'est pas un crime que de prendre un bain."

Jam de Augusti ira in poetae nostri perniciem concepta, sic statuit: „Cette coincidence (scil. flagitiorum Juliae neptis detectorum punitorumque et Ovidii ipsius exsilii) ne nous permet-elle pas de supposer que c'est aux amours de Julia et de Silanus qu'Ovide a été mêlé et que nous y tenons la cause véritable de la colère d'Auguste contre lui?"

Summam denique viri docti argumentorum haec mihi verba continere videntur, quae p. 603 legimus: „je crois que ses poésies ont été la cause véritable de son exil, et que le reste n'en fut que l'occasion.

Digitized by Google

mortuo; etenim jam in epistola sexta libri IV. hi reperiuntur versus:

v. 15.

„Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae
Spem nostram terras deseruitque simul,"

atque Epist. IV. 9, 107.

„Stant pariter natusque pius conjuxque sacerdos
Numina jam facto non leviora Deo." (Augusto)

Jam si constat, Augustum obiisse mense Augusto anni XIV. p. Chr. nat., sexta illa aestas exsilii anni XV, neque prior, fuit; dicit enim poeta Epist. IV. 11, 15:

„Dum tua pervenit, dum litera nostra recurrens
Tot maria ac terras permeat, annus abit."

Prima igitur aestas, quam Ovidius apud Getas degit, anni X fuerit necesse est. Tomos iter fuisse tempore hiemali, ex elegia undecima lib. I apparet, ita ut relegatio ipsa necessario incidat in auctumnum anni IX, cui rei cetera omnia, quae affert poeta, tempora congruunt. Errant igitur, qui eam anno VII aut VIII relegatum volunt. De Julia autem, nepte Augusti, haec enarrat Tacitus annal. lib. IV. c. 71:

„Per idem tempus („anno XXVIII. Junio Silano et Silio Nerva consulibus" subaudiendum est) Julia mortem obiit; quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat projeceratque in insulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus. Illic viginti annos exsilium toleravit." Jam si annus XXVIII vicesimus erat exsilii Juliae, primum fuisse eundem annum IX apparet.

Ergo quivis mecum consentiet, Ovidium poetam ac Juliam neptem eodem anno IX. in exsilium missos esse.

At redeundum ad propositum.

Legimus apud Dionem Cassium LV. c. 10: *τὴν μέντοι Ἰουλίαν τὴν θυγατέρα ἀσελγαίνουσαν οὕτως, ὥστε καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐπ' αὐτοῦ γε τοῦ βήματος καὶ κωμάζειν νύκτωρ καὶ συμπίνειν, ὀψὲ δή ποτε φωράσας ὑπερωργίσθη*· atque ea quasi illustrantur his verbis Senecae (de benefic. VI. c. 32): „ad

Digitized by Google

missos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comissationibus civitatem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat filiae in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum etc.“ Quae quidem omnia ad Juliam, filiam Augusti spectant, neque tamen Juliam neptem matri hac in re quicquam cessisse, ex his Suetonii verbis concludas (Aug. 65): „Julias filiam et neptem omnibus probris contaminatas relegavit.“ Jam vide, quam facile fieri potuerit, ut Naso cum Julia nepte, per urbem noctu vagante ac comissante, conveniret. Sine dubio quondam casu infausto in illam incidit; ac primum quidem omnem societatem recusans, tamen mox aliqua ex parte a Julia permotus, aliqua ac majore quidem ex parte suo ipsius hilari et ad jocandum prompto animo indulgens, obscoenis, quae agebantur, interfuit; isque quasi praeceptor amorum. Quod ita fuisse et ipsa rerum natura ut credamus suadet, et varia poetae hanc in rem dicta docent, quae omnia opinioni nostrae insigniter favent, nullum obloquitur.

Res ipsa obscoena, cui Ovidius adstitit, qualis fuerit, nec compertum habemus neque unquam comperiemus, neque ut comperiamus refert. Valeat igitur de ea versus poetae:

„Illa tegi caeca condita nocte decet.“

Ingeniosam fuisse illam aetatem in voluptatibus libidinosis, constat.

At forsitan aliquis dixerit, Ovidium tam perditorum hominum non fuisse. Concedimus, neque versus ignoramus, velut Trist. I, 9, 59.

„Vita tamen tibi nota mea est: scis artibus illis
Auctoris mores abstinuisse sui.“

Trist. II. 349.

„Sic ego delicias et mollia carmina feci,
Strinxerit ut nomen fabula nulla meum.
„Nec quisquam est adeo media de plebe maritus,
Ut dubius vitio sit pater ille meo.
„Crede mihi, mores distant a carmine nostro.“

Nihilo secius animum ejus propensiorem fuisse ad volup-

Digitized by Google

tates promptumque ad lasciviam, et omnis carminum color docet et ipse diserte confirmat, ita de se dicens:
Ars a. III. 121.

„Prisca juvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor, haec aetas moribus apta meis."

et Trist. IV. 10, 65.

„Molle cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat."

Altera ex parte dubium non est, quin Julia lasciva (videlicet natu minor, de qua sola nunc quaeritur) dedita fuerit poetae Heroidum, Amorum, Medicaminum, Artis amandi, Remediorum studiosissimaque horum carminum. Quid igitur verisimilius, quam consuetudinem ac familiaritatem quandam inter Nasonem et Juliam intercessisse, praesertim cum aditus ad domum Caesaris poetae pateret? Quam familiaritatem significare videtur Trist. III. 4, 4—30.

Quae cum ita sint, facillime fieri poterat, ut Ovidius, postquam Juliam in aliquo flagitio oppressit, ab ea ad societatem adhiberetur; quamvis enim primum, amicitiam Augusti verecundiamque ejus respiciens, reluctatus esset, tamen Juliam, cujus plurimum intererat, ne quid poeta enuntiaret, nihil, ac ne minas quidem, ut ei persuaderet, omisisse consentaneum est. Sic ille et calumniosam potentis mulieris linguam metuens et suo proprio lascivo animo indulgens obsecutus est; „malus", inquit, „error me abstulit; (ein unſeliger Wahn hat mich berückt) nil nisi non sapiens timidusque possum vocari; haec duo sunt vera animi nomina." Hic autem cum errore Nasonis Ars ejus amatoria, cui haud minimam partem malorum attributam vult, facillime conectitur. Sine dubio enim Ovidius rei, quam agebat Julia, particeps factus est ut poeta Artis amandi vel praeceptor amoris, ut ita dicam, sive hoc tantum titulo in societate Juliae mansit, sive versus quosdam Artis suae recitavit. Sic demum intelliguntur illi Tristium IV. 1. versus:

„Scit quoque (Musa) cum perii, quis me deceperit error,
Et culpam in facto, non scelus esse meo.

Digitized by Google

„Scilicet hoc ipso nunc aequa quod obfuit ante,
Cum mecum juncti criminis acta rea est.
„Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
Pieridum sacris imposuisse manum.“

Quo in statu rerum probanda quidem sunt omnia, quae excusandi causa poeta affert; attamen quam noxius nocensque Augusto existimandus erat, quem diligentissime atque accuratissime de flagitiis neptis certiorem factum esse, constat! Nonne, Augustum, severum septuagenarium, jam ignominia afflictum, qua nonnullis annis antea Julia filia domum ejus affecerat, postquam novam neptis pravitatem comperit, poetam his flagitiis implicatum tamquam praeceptorem artium amatoriarum illius putare, necesse erat? Profecto talia expertus magnam partem lasciviae petulantiaeque neptis Ovidio jure suo vitio vertit ac majorem culpam morum magis magisque labentium in carmina ejus, imprimis in Artem amandi contulit. Sic quoque lascivam Musam Nasonis nullo modo probaverat, jam vero, ubi eam obscoenis neptis conexam esse vidit, non dubitabat, arguere poetam, quod Arte sua adulterium docuisset. Suetonius de Augusto (c. 60) haec verba habet: „aliquanto autem patientius mortem quam dedecora suorum tulit.“ Quid igitur probabilius, quam incensum eum fuisse ira Ovidii, quippe quem aliqua ex parte auctorem illius dedecoris putaret! Id quod poeta ipse haud ignorabat; ac, ne vitam, fortunas, civitatem perderet, non sine ulla conscientia culpae metuebat. Poterat quidem crimina sua excusare; etiam probanda sunt omnia, quae in Trist. lib. II. in Artem amatoriam defendendam affert; poterat dicere: „peccatumque oculos est habuisse meum;“ neque tamen omnem culpam negare poterat:

„Non potes (inquit) „a culpa dicere, abesse tua,
„Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres,
Non gravior merito vindicis ira fuit.“

Itaque ignominiam domesticam Augusto esse vulnus insanabile sentiens, nunquam postea nimis perspicue vel inverecunde dictis illud refricare ausus est; „non sum tanti“,

Digitized by Google

inquit, „ut vulnera tua, Caesar, renovem;“ immo ipsi memoria illius rei, cui infauste implicatus erat, horrorem ac pudorem afferebat:

„Mensque reformidat, veluti sua vulnera, tempus
Illud et admonitu fit novus ipse dolor.
„Et quaecunque adeo possunt afferre pudorem,
Illa tegi caeca condita nocte decet.“

Ovidio extrema, quam metuerat, poena subeunda non erat. Augustus, ubi magis errore ac stultitia, quam consilio ad societatem funestae rei eum adductum esse vidit, iram aliquid continuit; cfr. Epist. I. 8. 43:

„Ipse sed hoc vidit, qui providet omnia Caesar,
Stultitiam dici crimina posse mea.
„Quaque ego permisi, quaque est res passa, pepercit,
Usus et est modice fulminis igne sui.“

Atque haec moderatio Augusti ad omnem illam rem pertinuisse videtur. Legimus apud Senecam de benefic. VI. 32: „Haec („flagitia Juliae filiae“) non tam vindicanda principi quam tacenda (quia quarundam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) parum potens irae publicaverat. Deinde cum interposito tempore in locum irae subiisset verecundia, gemens quod non illa silentio pressisset etc.“ Quam verecundiam quia adhibuerit in flagitiis Juliae neptis ita, ut non aeque ea publicaret ac dedecora filiae, vix dubium est. Qui contrarium contendunt, illam verecundiam demum nepte relegata in locum irae subiisse, plerumque his Senecae verbis nituntur. „Flagitia principalis domus in publicum emisit;“ sin contextum hujus loci respicis, haec verba tantum ad Juliam filiam spectare mihi concedes. Antecedunt enim verba: „Augustus filiam intra pudicitiae maledictum impudicam relegavit“; „et“ (sic pergit philosophus) „flagitia principalis domus in publicum emisit“; jam enumerantur flagitia filiae: „admissos gregatim adulteros etc.;“ denique verba: „haec non tam vindicanda principi quam tacenda etc.“ insequuntur. Nullam igitur cogitationem hic de flagitiis neptis „in publicum emissis“ philosophus habuit

Digitized by Google

Filiae quidem dedecora judiciumque copiosius enarrant praeter Senecam Suetonius in vita Augusti c. 65, Dio Cassius LV., 10; Vellejus II. 100; Tacitus annal. I. 53; verum Juliam neptem Dio Cassius et Vellejus ne commemorant quidem; Suetonius autem de ea nihil affert, nisi „aeque eam ac matrem omnibus probris contaminatam relegatam esse, infantemque post damnationem ex ea editum agnosci alique avum vetuisse.“ Certissime autem sententia mea confirmatur his verbis Taciti annal. III. 24.: „D. Silanus in nepti Augusti adulter, quamquam non ultra foret saevitum, quam ut amicitia Caesaris prohiberetur, exsilium sibi demonstrari intellexit.“

Ergo, Augustum in causa neptis verecundiam et moderationem adhibuisse, ut statuamus, omnes rationes suadent.

Quae moderatio, quo modo ad Ovidium, flagitiis Juliae implicatum, pertinuerit, poeta docet Trist. II. 127:

„Vita data est, citraque necem tua constitit ira,
O Princeps, parce viribus use tuis.
„Insuper accedunt, te non adimente paternae
Tamquam vita parum muneris esset, opes.
„Nec mea decreto damnasti facta Senatus,
Nec mea selecto judice jussa fuga est.
„Tristibus invectus verbis, ita Principe dignum,
Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas.
„Adde quod edictum, quamvis immane minaxque
Attamen in poenae nomine lene fuit,
„Quippe relegatus, non exsul dicor in illo,
Parcaque fortunae sunt data verba meae.“

Quae quidem omnia primo adspectu illi opinioni favere videntur, Augustum, veram Nasonis culpam de industria tacentem, Artem amandi ab eo scriptam causam relegationis simulavisse; sed prorsus falli, qui ita statuunt, pro certo effecisse mihi videor. Interfuisse Augusti, ut nova dedecora domus principalis quam plurimum occultarentur, res ipsa loquitur; non magis autem, quam vera Juliae neptis relegatae

Digitized by Google

causa, causa Nasonis in exsilium missi latere potuit; ac quod neque scriptores aequales neque poeta ipse hanc rem publicaverunt, quantopere verecundiam Augusti respexerint, indicium est.

Ex nostra denique sententia intelligitur, quod et Augustus ipse et eo mortuo Tiberius ac Livia omnes humiles Ovidii preces neglexerunt, neque ullo modo miserrimam sortem ejus levarunt. Apud Dionem Cassium lib. LVI. c. 40 Tiberium de Augusto mortuo sic verba facere memineris: *τοῖς τε τῶν οἰκειοτάτων ὑβρίσμασιν ἀπαραιτήτως ἐπεξιών, τὰ τῶν ἄλλων ἁμαρτήματα ἀνθρωπίνως μετεχειρίζετο.* Quam fuerit inexorabilis in filiam neptemque, severissime eae damnatae docent; sed eum ne moribundum quidem illa flagitia iis ignovisse, ex his verbis Suetonii (Aug. c. 101) satis superque elucet: „Julias filiam neptemque, si quid iis accidisset, vetuit sepulcro suo inferri.“ Ergo si talem Augustus in neptem se praebuit, quomodo minus infestus esse potuit in Nasonem, quem non solum participem vel fautorem flagitiorum ejus judicaret, sed cujus lascivis carminibus etiam magna ex parte mores filiae neptisque corruptos depravatosque esse putaret! Ac si (cfr. Dion. Cass. LV. c. 13.) preces vel totius populi romani, ut filiae relegatae reditum concederet, adeo non Augustum moverunt, ut „prius ignem coiturum esse cum aqua“ diceret; si ne neptem quidem reverti passus est — quid mirum, quod precibus poetae relegati ipsius vel, quas uxorem ejus atque amicos pro misero exsule adhibuisse verisimile est, minus commotus est!

Quae cum ita sint, nemo jam dubitabit, quin Tiberius et Livia, Augusto mortuo veniam impunitatemque supplici Nasoni negantes, ex voluntate defuncti ita fecerint. Cui rei congruit, quod ne Juliae nepti quidem, postquam avus decessit, gratia facta est, sed usque ad mortem per viginti annos exsilium fuit perpetiendum. Silanum quidem, adulterum neptis Augusti, qui voluntarium exsilium sibi consciverat, Tiberio regnante, Romam revertisse, Tacitus annal. III. 24 refert. At ibidem quoque, quomodo id fieri potuerit, et quam

Digitized by Google

religiose nihilo minus in animum Augusti Tiberius intraverit, legimus. Respondet enim Silano fratri gratias agenti coram patribus: se quoque laetari, quod frater ejus e peregrinatione longinqua revertisset, idque jure licitum, quia non senatus consulto, non lege pulsus foret; sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones, neque reditu Silani dissoluta, quae Augustus voluisset.“ Ovidius autem proprio Augusti edicto relegatus erat, quod Tiberio magis quam senatus consultum valebat, ut irritum id reddere non posset.

Quod ita fuisse, poeta ipse haud ignorabat; „mala nostra“, inquit,

„vel nemo vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest“, — Trist. I., 99;

et de Augusto mortuo ita queritur:

„Spem nostram terras deseruitque simul.“ Epist. IV. 6, 16.

Obiit igitur Tomis Ovidius Naso ibique sepultus est.

Quod sepulcro suo inscriptum volebat, quamquam inscriptum non est, tamen valere, demonstrasse mihi videor:

„Hic ego qui jaceo, tenerorum lusor amorum,
Ingenio perii Naso poeta meo“.

Digitized by Google

Vita Scriptoris.

Ernestus Appel a. d. IX. cal. Jul. a. h. s. XLIII Charlottenburgi natus fidei evangelicae addictus sum. Literarum rudimentis in ludo civico Charlottenburgiensi instructus quarto decimo aetatis anno Berolinum me contuli ibique gymnasium Berolinense adii, quod illo tempore directore Friderico Bellermann, quem summe veneror, florebat. Eruditione doctissimorum magistrorum factum est, ut magis magisque philologia delectarer; praeterea studium et amor literarum artiumque antiquarum alebatur usu familiari, qui mihi erat cum viro doctissimo dilectissimo Friderico Foerster, quem morte praematura mihi ereptum valde lugeo.

Itaque postquam testimonium maturitatis, quod dicitur, in gymnasio adeptus sum, tempore paschali a. LXIV. civibus universitatis literariae Friderico-Guilelmae a Rectore Magn. Ill. Trendelenburg adscriptus apud Ill. Magnum decanum spectatissimum ordinis philosophici nomen professus sum. Per quadriennium academicum Berolini peractum scholis interfui Vir. Ill. Trendelenburg, Michelet, Boeckh, Haupt, Kirchhoff, Mommsen, Hübner, Geppert, Jordan, Müllenhoff, Massmann, quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas. Aestate a. LXVI. studia intermittenda mihi erant ad societatem belli Austriaci adhibito.

Qua ex societate maximum incommodum cepi. Etenim cum vires ad sustinendos militiae labores non sufficerent, mox aegrotare incipiebam; quam quidem aegrotationem bello confecto me superaturum esse sperabam, at gravis pulmonum morbus, in dies magis patefactus, paullatim ita in-

Digitized by Google

gravescebat, ut aestate a LXVIII studium literarum ad tempus omnino intermittendum mihi esset. Deinde aquis Embacensibus usus, quamquam non plane ex morbo refectus, tamen salubrior esse incipiebam. Itaque auctumno a. LXIX. Daleszynium in latifundium, in provincia Posnania situm, ad munus praeceptoris domestici suscipiendum me contuli. Ubi mihi non modo ad munia praestanda vires adhuc suffecisse, sed etiam ad studia doctrinae reverti per valetudinem mihi licuisse, gaudeo.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Appel.: Quibus de causis Ovidius.	191824	Room A64
	Sem 311 Rend	

YB 00529

RETURN TO ➡ CIRCULATION DEPARTMENT
202 Main Library

LOAN PERIOD 1 **HOME USE**	2	3
4	5	6

ALL BOOKS MAY BE RECALLED AFTER 7 DAYS
1-month loans may be renewed by calling 642-3405
6-month loans may be recharged by bringing books to Circulation Desk
Renewals and recharges may be made 4 days prior to due date

DUE AS STAMPED BELOW

INTERLIBRARY LOAN
APR 1 X 1982
UNIV OF CALIF., BERK.

FORM N
UNIVERSITY OF CALIFORNIA, BERKELEY
BERKELEY, CA 94720

Digitized by Google